

tionem, *Detestabilem*, circa illud proscriptis quinque propositiones sequentes.

I.

Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suoque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debite, ac promerite spe perpetuo carere deberet, culpa, & poena vacare, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt, etiam honoris tendi, vel humane vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latus Dux, vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

IV.

Licetum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V.

Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia denegatur.

Quicumque prædictas propositiones, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsam impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi. Hucusque Bened. XIV. dicta Bulla edita die decima Novembris anno 1752.

247. Igitur licet olim variæ causæ putarentur sufficientes apud aliquos ad honestandum duellum, jam omnes latebræ opinionibus justissime ab Ecclesia oclusæ sunt. Unde nec ob timorem amit-

tendi famam, honorem, officia, magistratus, dignitates, bona quæcumque, aut etiam ipsam vitam, potest iudici, aut admitti duellum, etiam non animo pugnandi, nec vulnerandi, sed pretextu proprium honorem defendendi. Si autem scire cupias, quomodo notam timiditatis, aut animi dejecti evadere possit vir illustis ad duellum provocatus, respondeat: *Se ut Christianum, & Ecclesiæ filium nolle acceptare duellum prohibitum omni jure divino, & humano; verumtamen esse intrepide paratum ad sui justam defensionem propria manu, & ense suscipiendam contra quemcumque injustum aggressorem.* Vel dicat: *Ubi cumque armis invasus fuero, armis me defendam; ita ut vitæ meæ consulam.* Nec enim verus honor situs est in vana vulgi opinione, sed in observatione legis divinæ, nec valor consistit in actionibus feralibus, sed in exercitio veræ virtutis. Ubique apud sapientes fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit.

248. Si vero casu occurrat tibi inimicus, aut alius, qui ad statim pugnandum provocet, & ibi sine mora acceptes, ac pugnes, licet grave peccatum committas, non tamen est formale duellum: quia non fit ex conditio: imo si tibi ille mortem ibi minetur, nisi acceptes, & prudenter timeas illum minas executionum, licite pugnare, & te defendere potes. Et etiam, si non aliter evadere possis, nisi occidendo, potes illum occidere, quia non acceptas duellum, sed vitam tuam necessario defendis.

249. Inq. 4. Quæ sint poenæ impositæ contra duellantes? R. Imperatores, Reges, & alii domini temporales, qui locum ad duellum inter Christianos concesserint, ipsi bellantes, patrini, spectatores, non fortuito, sed ex proposito, & alii quavis ratione ad id suadentes, incurrunt poenam excommunicationis *lata sententiæ* reservatæ summo Pontifici, necnon perpetuæ infamie, privationis dominii, & territorii respective, ac proscriptionis omnium honorum. Morientes autem in loco duelli, vel extra illum ex vulnere in duello accepto, licet signa poenitentiae dederint, vel a peccatis, & censuris absolutionem obtinuerint, privantur sepultura ecclesiastica, ex lauda-

CAPUT IV.

De scandalo.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio scandali.

252. Inq. 1. Quid sit scandalum? R. Scandalum, quod græce idem sonat, ac latine offensio, est *dictum, vel factum minus rectum occasione ruinæ spiritualis præbens proximo.* Sub nomine *dicti*, vel *facti* comprehenduntur etiam omissiones, ut in definitione peccati dictum est. Plurima scandala oriuntur ex omissionibus Principum, Magistratum, Prælatorum, Judicum, & cujuscumque omittentis suo muneri satisfacere. Ponitur *dictum*, vel *factum*: quia debet esse actio externa: *Minus rectum*: quia non requiritur, ut sit vere malum, sed sufficit, quod habeat speciem mali. *Occasionem ruinæ spiritualis præbens*: non causam: quia a nullo extrinseco voluntas tamquam a causa trahitur ad peccatum: & quia non requiritur lapsus, sed sufficit occasio lapsus.

253. Dividitur scandalum in activum, & passivum. Activum est, quod jam diximus. Passivum est ipsa ruina spiritualis proximi, accepta occasione ex *dicto, vel facto* alterius. Deinde dividitur scandalum activum *indirectum formalem, directum non formale, in indirectum, seu interpretativum, & in scandalum per accidens.* Primum datur, quando inducitur proximus ad peccandum ex intentione expressa, & directa ruinæ spiritualis, ut alius gratiam amittat. Hoc peccatum est Dæmoniorum. Secundum datur, quando inducitur ad peccandum non propter ruinam, sed propter cupiditatem voluptatis, lucri, aut alterius utilitatis, ut qui inducit ad furtum, vel ad adulterium. Tertium datur, quando quis non inducit ad peccandum, tamen prævidens, aut prævidere debens, alios occasionem ruinæ accepturos, vel posse accipere, dicit, aut facit aliquid minus rectum, ut qui furatur, vel loquitur verba inhonesta coram aliis. Hæc tria sunt scandala per se. Quartum datur, quando quis in occulto pec-

cat, existimans a nemine videri; sed per accidens ab aliquo conspicitur, & forte scandalizatur: quod appellatur scandalum *per accidens*, & non constituit distinctum peccatum in confessione aperiendum; nisi forte ex sua culpa aspiceretur. D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4.

254. Scandalum passivum dividitur in scandalum *fragilium, pusillorum, & Pharisæorum*. Primum est *ruina spiritualis proximi orta ex infirmitate*, ut si aliqui juvenes sint in platea, & per transitum innocentem puellæ moventur ad incontinentiam. Tunc, si ipsa hoc prævideat, & possit absque incommodo, debet alio transire, vel domi se continere. *Pusillorum*, vel parvulorum est *ruina spiritualis orta ex ignorantia causæ*: ut si quis in die jejuniæ carnem comedat ex necessitate; vel Sacerdos ingrediatur ad domum puellæ ad eam instruendam: ex quibus atque scandalizantur, debent isti moneri de causis, ne ulterius malum suspicentur. *Pharisæorum* est *ruina spiritualis orta ex pura malitia*: ut in dictis casibus, aut similibus post monitionem, & semper, ac opus, vel verbum undequaque bonum accipitur in malum: ut contigit in verbis, & miraculis Christi Domini, quæ in malum captabant Pharisæi: ex quibus dicitur *scandalum Pharisæorum*.

255. Inq. 2. An semper scandalum activum reperitur cum passivo? R. neg. potest enim dari cum passivo, ut dum quis præbet, & alter accipit occasionem peccandi; & potest dari activum sine passivo, ut quando quis dat occasionem, alter vero non accipit; sed contemnit. Similiter valet dari passivum sine activo, ut in scandalo Pharisæico, aut per accidens, ut in scandalo pusillorum, quando ex verbo, vel facto ex se bono sumitur occasio ruinæ ex ignorantia causæ. Ang. Doct. *ibi ad 4.*

256. Inq. 3. An scandalum sit speciale peccatum? R. scandalum activum esse speciale peccatum contra caritatem, & correctionem fraternam. Constat ex Matth. 18. *Væ mundo a scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.* Ubi particula *væ* enormem malitiam scandali activi ostendit. Unde

est peccatum mortale ex genere suo; potest autem esse veniale ex parvitate materiæ, & ex imperfecta deliberatione. D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 3. & 4.

257. Objic. Quod est necessarium non est peccatum; sed necesse est, ut veniant scandala: ergo scandalum non est peccatum. R. quod verbum domini intelligitur, suppositum hominum fragilitate, & malitia, quod non tollit voluntarium, & peccatum.

258. Inq. 4. An detur peccatum scandali, quia expresse intendatur proximi ruina? Ut dum quis furatur coram aliis, nullum inducendo expresse ad furandum. R. affirm. quia semel quod sit scandalum, est de se inductivum ruinæ spiritualis proximi: ergo si prævideatur, licet expresse non intendatur, constituit speciale peccatum contra caritatem in confessione explicandum. D. Th. *ubi sup. a. 3. in corp.*

259. Confirmatur: qui apponit ignem juxta segetes alterius, prævidens posse comburi, licet hoc non intendat, peccat contra justitiam. Ulterius, alius videns prædictum ignem appositum, prævidens segetum combustionem, tenetur ex caritate ignem extinguere, si commode potest, & omittens extinctionem peccat contra caritatem, ergo similiter peccat, tribuens scandalum cum prævisione ruinæ spiritualis, esto illam non intendat. Declaratur amplius ex ethimologia scandali. Nam scandalum dicitur ab offensione, seu offendiculo posito in via, ut alter impingat. Igitur, qui lapidem offensionis, seu laqueum poneret in publica via, prævidens aliquos posse cadere, & offendi, licet hoc expresse non intenderet, proculdubio peccaret contra justitiam, & omnium damnorum esset reus, ergo pariter de scandalo, quod est offendiculum spirituale.

260. Objic. 1. Peccatum speciale opponitur speciali virtuti; sed scandalum non opponitur virtuti speciali, cum ruina proximi expresse non intenditur: ergo non est peccatum speciale. R. neg. min. quia ut scandalum sic peccatum speciale, minime requiritur, quod ruina proximi expresse intendatur, sufficit enim, quod indirecte, & implicite sic volita, & hoc accidit in omni circumstantia in objecto

præ-

prævisa: ut patet in furto rei sacræ, ubi ad sacrilegium sufficit, quod res sit sacræ, licet non auferatur ut sacræ.

261. Objic. 2. Scandalum activum, & passivum sunt correlativa, & sibi correspondent; sed passivum non est speciale peccatum, ergo nec activum. R. neg. maj. quia scandalum activum, & passivum non sunt proprie correlativa, datur enim activum, sine passivo, & passivum sine activo, quod contra rationem correlativorum est. Quando autem simul reperiantur, non in omnibus sibi correspondent: quia passivum non participat rationem specificam, & formalem scandali, sed tantum rationem communem, proindeque divagatur per omnia vitia. Activum vero præter rationem communem habet rationem specificam oppositam caritati, & correctioni fraternæ. Sed pro majori claritate.

262. Inq. 5. Quot malitias includat peccatum scandali? R. quod in peccato scandali saltem duplex malitia specie diversa includitur, una contra caritatem, & alia speciei illius peccati, de quo datur scandalum. Hoc in scandalo directo omnes fatentur. In scandalo autem indirecto id ipsum esse verum nobis videtur. Unde qui consilium præbet quatuor personis, ut furentur, octo peccata committit: quatuor scandali, & quatuor furti; at dum quis furando incitat easdem personas ad furtum, committit novem peccata, nempe octo recensita, & aliud furti, quod ipse perpetrat. Et ita de reliquis, aut similibus.

263. Advertas autem, quod in casu consilii inducens ad furtum tenetur ad restitutionem in defectu aliorum: quia est causa moralis furti; in casu vero meri scandali, dum quis suo pravo exemplo, absque alia cooperatione, seu consilio inducit alios ad furandum, non est causa, sed præcise occasio, ideoque ad restitutionem non tenetur; nisi ex pravo animo alios excitandi id efficeret, juxta alibi dicenda, aut alias ex officio teneatur ad impedienda damna proximi. Advertas etiam, quod in omnium sententia debent in confessione explicari prædicta peccata, omnesque circumstantiæ specificæ in eis repertæ: nam controversia inter nostram sententiam, & oppo-

Tom. I.

sitam solum est, an scandalum sit peccatum speciale, vel generale, dum non intenditur expresse rui a proximi; omnes tamen conveniunt in obligatione explicandi in confessione omnia, quæ diximus.

264. Inq. 6. An inducens alium ad peccatum veniale committit mortale? R. neg. Ita D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 4. ubi ait: *Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale.* Ratio est, quia, cæteris paribus, gravius peccat causa phisica, & moralis peccati, quam tantum moralis; sed causa phisica, & moralis peccati venialis solum venialiter peccat: ergo a fortiori causa moralis, ut est inducens, aut consilens: igitur inducens ad furtum undique leve, licet duo peccata venialia committat, unum contra caritatem, aliud contra justitiam, minime tamen graviter peccat.

265. Objic. cum Vazquez oppositum asserente: Inducens ad malum grave temporale peccat graviter; sed peccatum veniale est malum gravius omni malo temporali: ergo inducens ad peccatum veniale peccat graviter. R. disting. min. Peccatum veniale est malum gravius omni malo temporali in *diverso ordine*, concedo min. in *eodem ordine*, nego min. & consequentiam. Quodlibet malum in suo genere, seu ordine spectandum est: cum ergo peccatum veniale sit ordinis superioris, in quo absolute est malum leve, hinc inducens ad illud solum venialiter peccat.

266. Verum est, posse aliquando per actum de se levem, præberi scandalum grave proximo: Ut si Episcopus, Parochus, aut quis similis profferret leve mendacium, aut verbum minus honestum coram personis, quæ ex hoc grave scandalum paterentur. Et idem est de actione alias indifferenti, aut bona ex objecto: quæ omnia sollicitè cavenda sunt, ne sint occasio ruinæ in proximum.

267. Inquires 7. An liceat consulere minus malum parato committere majus? Tria supponit questio: 1. quod non liceat consulere minus malum, si alia via possit impedire majus. 2. quod nequeas suadere minus malum infingendum Petro, ut retrahas a Paulo majus: sicut nec

Kkk

sua-

tenda? R. sub distinctione: Vel sunt nostra, vel nobis commissa ad custodiam, & depositum. Si hoc secundum, minime sunt dimittenda, sed accurate custodienda: quia nullum dominium habes in illa. Si autem commissa sunt alicui ad eorum rectam administrationem, ut Prælati ecclesiasticis, aut regularibus prudenter ea administrare debent, ita ut, nec propter ipsorum ignaviam deperdantur, nec propter nimiam sollicitudinem, aut vexationem debitoribus factam, præsertim pauperibus, scandalum pusillorum oriatur; quando autem compelluntur juste vexare debitores, ostendant, se aliter suo muneri satisfacere non posse: quia proventuum Ecclesiæ, aut monasterii, non domini, sed meri custodes, aut administratores sunt. Væ autem Prælati illis, qui vel timore tantillum insumendi in vindicandis juribus monasterii, vel amittendi aliquorum amicitiam, vel sub pretextu fidei pacis negligunt defendere jura, & bona suæ curæ, & fidelitati commissa, ex quo perpetuum non semel pendium monasterium patitur. Vid. D. Thom. a. 8. in cap.

278. Si primum, hoc est, quando bona temporalia sunt propria, aliquando omittenda sunt propter scandalum pusillorum, aut alia via scandalum præcedendum: quia damnum spirituale proximi præferre tenemur bono temporali proprio, dum absque notabili incommodo nostro, aut alieno impediri possit. Raro evenire potest casus, in quo teneamur bona temporalia in notabili quantitate dimittere propter scandalum pusillorum. Sed accipe unum claritatis gratia. Si persona ecclesiastica, vel laica absque familia habens propria patrimonialia sufficientissima ad suum statum instituantur ab amico hæres omnium, vel fere omnium honorum, cum testator haberet consanguineos, licet remotiores, pauperes cum periculo mendicitatis, vel agendi miseram vitam: in hoc casu teneretur hæres, vel cedere eis hæreditatem, aut portionem, vel curam eorum suscipere ad vitandum scandalum ipsorum, imo & prudentum, qui juste commoverentur contra retinentem hæreditatem, & nolentem succurrere consanguineis miseris, & derelictis. Hinc intelli-

gas injuste agere illos, qui testantur in favorem famularum sibi inservientium, relictis consanguineis pauperibus.

279. Circa scandalum Phariseorum sic loquitur ad rem D. Thom. *Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Phariseorum. Et propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda, quia hoc, & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, quia retinendo aliena in peccato remanerent.* 2. 2. q. 43. art. 8.

PUNCTUM III.

De cooperatione ad peccatum scandalum.

280. Circa actiones, quæ dici debeant cooperari ad peccatum scandalum, tanta est varietas inter auctores, ut fere arbitrarie aliqui in pluribus loqui videantur: quoniam absque ulla diversitate in cooperatione hanc reputant malam, & illam ab omni malitia liberant. Sit exemplum. Necessitate cogente, potest petere mutuum ab eo, quem prævides non tibi daturum, nisi sub usuris: at eadem necessitate, non valet locare domum meretrici, juxta aliquos; si autem disparitatem quaeras, vix ullus adæquatam præbebit. Veruntamen.

281. Inq. 1. Quando aliquis dicitur cooperari peccato scandalum? R. duplicem esse cooperationem; aliam proximam, & formalem, aliam remotam, & materialem. Proxima, & formalis est actio de se influxiva in peccatum, vel quæ hic, & nunc ordinatur ad peccatum: hujusmodi cooperatio penes omnes est peccaminosa, & illicita. Suas tamen admittit exceptiones, ut in conjuge cum causa redenti extra bimestre debitum alteri conjugi voto castitatis ligato, & in Patrochio ministrante Eucharistiam peccatori occulto, eam publice petenti. In his autem, & similibus, licet cooperatio sit proxima, non tamen formalis, quia hæc semper est illicita, & peccatum scandalum illius speciei, in quo alter peccat.

282. Cooperatio remota, & materialis est actio ex se non mala, seu indifferens, quæ alter potest uti sine peccato. Hujusmodi autem cooperatio remota

li-

licita est, dummodo adsint, juxta aliquos, septem conditiones 1. quod actio cooperativa de se sit non mala, sed indifferens. 2. quod intentio cooperantis sit eliciendi actionem propriam ordinatam ad finem honestum. 3. quod adsit justa causa ad talem actionem eliciendam. 4. quod non teneat ex officio impedire peccatum alterius. 5. quod talem actionem denegare non possim sine proprio damno. 6. quod etiam me non cooperante, adhuc malum fieret. 7. quod alter actione mea non sit abusus in damnum religionis, aut reipublicæ. Verum omnes istæ conditiones ad unicam reduci possunt, nempe quod adsit necessitas, seu causa rationalis eliciendi operationem alias bonam secundum qualitatem negotii, & materiam. Omnes aliæ, vel supponi debent, vel includuntur in ista.

283. Unde, justa causa, aut necessitate cogente, poteris petere sacramenta a ministro notorio peccatore; mutuum ab usurario; juramentum ab infideli; vendere res, quibus omnes uti possunt sine peccato; emere a mercatore, qui omni pene verbo in juramenta, & maledictiones erumpit. Potest similiter mulier se fenestram exponere, & a domo exire, quamvis prævideat juvenem illam impudice conspexiturum: quæ omnia absque necessitate, & causa rationali sunt illicita, & penitus omittenda: Quia omne scandalum, etiam Pharisæicum, ex caritate vitare debemus, quando absque incommodo proprio possumus. Ex opposito autem, scandalum mere acceptum, aut passivum præter intentionem operantis, nemo tenetur vitare cum notabili detrimento proprio. Caritas enim non præcipit nobis impedire malum alterius, quod ex sua voluntate pendet, nisi cum commode valeamus.

284. Si vero operatio principalis hic, & nunc nequeat fieri sine peccato, non potes cooperari ad illam, etiam per actionem alias bonam, aut indifferentem; quia ratione circumstantiarum exiit indifferens, & fit mala, ac proinde illicita. Unde non potes vendere venenum, si non habeat alium usum præter occisionem hominis, vel ad istam tibi petatur; nec potes vendere agnum Judææ, qui illum poscit ad immolandum,

Tom. I.

nec comitare herum ad furandum: vel quid simile faciendum. Nisi forte ex metu mortis, nam ex metu mortis possunt fieri actiones, quæ intrinsece non sunt malæ, licet ex malitia alterius exuant in differentiam, ut patet ex dictis de captivis Christianis supra num. 231. Hinc valet resolvere ille casus, videlicet, an Petrus ex metu mortis incuso a Cajo, possit subripere clam a Paulo v. g. centum aureos? R. affirm. quia talis acceptio in casu non est furtum, non enim est acceptio invito domino rationabiliter: cum Paulus debeat præferre vitam Petri propria pecunia, consentireque acceptioni; nisi illa pecunia necessaria foret ad vitam ipsius domini conservandam.

285. Inq. 2. An liceat inducere ad jurandum verum, quod juraturus ignorat esse verum? ut quando scholasticus vult probare cursum, qui recte interfuit, sed carens testibus, qui ejus assistentiam viderint, adhibet alios, qui eum interesse non viderunt, sed moraliter certi sunt de veritate, eoque ad fide dignis audierunt. R. neg. quia tales testes reipsa non jurant, quod sufficienter sciunt juxta præsentem materiam; in judicialibus enim solum potest certo jurari, quod oculis videtur: possunt quidem jurare se prudenter credere scholasticum interfuisse, nequeunt tamen jurare, ita rem esse. Idem teneas circa alia negotia, & materias.

286. Inq. 3. An possis inducere ad jurandum id, quod falsum esse cognoscis, jurans tamen credit esse verum? R. minime posse: quia nullus inducere valet ad id, quod est malum objective, esto illud committens excusetur a peccato ob ignorantiam; sed falso jurare est objective malum, ergo ad id inducere est illicitum, & peccatum scandalum, licet committens, seu jurans ex ignorantia credat verum esse. Unde illicitum est, & peccatum scandalum inducere alium ad jurandum Petrum esse nobilem, aut honorificam officia obtinuisse, quando inducens scit esse falsum, licet jurans crederet esse verum. Nec obest, quod non sequatur proximi ruina, quia essentia scandalum non est sita in eo, quod sequatur, vel non ruina proximi, sed in eo quod opus ex se sit inductivum ruinæ. Unde sicut

LII

NON

298. Inq. 4. An mulier prævidens se turpiter conspiciendam, possit licite in publicum exire? R. sub distinctione, vel mulier prudenter timet, quod inspecta fragilitate humana, se propter suam venustatem ab aliquo in communi fæde conspiciendam absque determinatione personæ, loci, & temporis: in hoc casu potest abs dubio in publicum exire: quia est periculum remotum, ad quod vitandum nemo tenetur. Si hoc prævideret propter ornatum vitiosum, deberet illum moderare ad mensuram sui status, & conditionis. Vel prævidet se turpiter amandum ab aliquo in particulari, aut ab aliquibus in tali loco, aut convivio, in hoc casu debet differre exitum, & illuc non concurrere, si absque incommodo valeat, quia caritas præcipit vitare malum proximi, quod absque detrimento notabili præstari potest.

299. Unde si mulier prævidens altius libidinem, & turpem erga se amorem, se offerat indifferenter ejus aspectui, absque ulla necessitate, licet non intendat malum, sed suæ satisfacere levitati, committit grave peccatum scandalum: e contra, si vir in omni via, & loco expectaret honestam feminam, post ista, postquam domi se aliquando continuit ad ejus periculum vitandum, sua libertate uti, & licite ex rationabili causa in publicum prodire, despiciendo ejus scandalum Pharisæicum. Circa aditum ad Missam audiendam, & negotia temporalia peragenda dicimus, quod si absque incommodo notabili possit adire Ecclesiam per aliam viam, aut differre prædicta negotia, debet quælibet femina ita se gerere ad vitandum detrimentum spirituale prævisum in juvene. Si autem non sit alia via ad Ecclesiam, nec possit absque jactura propria differre negotia temporalia, licitum est ei, sibi providere in spiritualibus de præcepto, & in temporalibus, neglecta alterius prava voluntate, & malitia. Væ autem feminis, quæ immoderato cultu, & ornatum minus honesto pro sua voluntate, jactantia, & levitate se conspiciendas omnibus indiscriminatim offerunt; sunt enim velut mulier Babylonica, propinans vas aureum plenum abominatione. Væ etiam illis, quæ suos pulitulos, venustulos, &

amasios sibi in ascensu, in descensu, in incensu inservire permittunt, cum quibus prætextu humani famulatus, in amicitia sensuali, & continua flamma libidinis comburantur. Hujusmodi absolvi nequeunt, quamdiu a tali consuetudine non recedunt.

300. Inq. 5. An sit licitum Principibus Christianis meretrices permittere? R. Quod, supposita corruptione humanæ naturæ, ubi tales feminæ reputantur necessaria ad majora mala vitanda, licite a Principibus permittuntur. Situ peculiari segregato. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 11. Ubi ad probandum permissionem Judæorum esse licitam exemplificat in meretricibus, & cum D. Aug. dicit: *Auferre meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*. Ubi Cajetanus advertit: permissionem criminum non esse malam secundum se. Idem docet Angelicus sequens. D. August. lib. 4. de regim. princip. c. 12. ubi ait: *Minus malum est mulieribus carnaliter commisseri, quam in vilia declinare flagitia*. Unde Augustinus dicit: *Quod hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio. Tolle cloacam, & replebis fæcore palatium, & similiter de sentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis eum sodomia*. Sed P. Concina, cui non arridet hæc sententia D. Augustini, & D. Thomæ, oppositum propugnat. tom. 2. pag. 165. n. 14. Obiciensque sibi primam auctoritatem D. Thomæ, respondet: *Ad D. Thomam quod attinet, dicimus verum esse allegare Augustini auctoritatem; sed obiter, & veluti per transenam, nullo adjecto examine*. Videat pius lector, si hæc responsio digna sit reverentia debita sanctis doctoribus Augustino, & Thomæ, vel si majori egebat examine, priusquam typis mandaretur. Si, inquam, indigebat novem annis, quos antiqui insumebant in examinando propria opera, ut maturius in lucem prodirent. Nobis enim placet doctrinæ utriusque luminis Ecclesie, nullo adjecto examine, libenter subscribere, humiliterque ab eis edoceri.

301. Sed P. Concina, cui non arridet hæc sententia D. Augustini, & D. Thomæ, oppositum propugnat. tom. 2. pag. 165. n. 14. Obiciensque sibi primam auctoritatem D. Thomæ, respondet: *Ad D. Thomam quod attinet, dicimus verum esse allegare Augustini auctoritatem; sed obiter, & veluti per transenam, nullo adjecto examine*. Videat pius lector, si hæc responsio digna sit reverentia debita sanctis doctoribus Augustino, & Thomæ, vel si majori egebat examine, priusquam typis mandaretur. Si, inquam, indigebat novem annis, quos antiqui insumebant in examinando propria opera, ut maturius in lucem prodirent. Nobis enim placet doctrinæ utriusque luminis Ecclesie, nullo adjecto examine, libenter subscribere, humiliterque ab eis edoceri.

PUNCTUM IV.

Alia dubia de eadem materia.

302. Inq. 1. An sit licitum locare domum meretricibus? R. Quod si domus locanda esset aptior ratione, situs, vel alterius circumstantiæ ad meretricium, vel peteretur ad malum finem, omnes consentiunt fore illicitam locationem: quia tunc casus non est indifferens, sicut etiam dum petitur cubiculum ad fornicandum: petitur enim non tantum usus, sed etiam abusus, qui apud omnes est illicitus. Cæterum loquendo de locatione domus, ut sic, & cum petitur ad habitandum, communior sententia tenet, licitam esse locationem, & nos idem asserimus, necessitate compellente: quia prædicta locatio domus est ex se indifferens, ita ut tota malitia peccati oriatur ex prava voluntate abutentis; sed propter hanc rationem licitum est petere mutuum ab usurario, necessitate cogente, ergo etiam locare domum prædicto modo meretrici. Unde inconsequenter procedunt hic, & alibi, qui ex una parte concedunt primum, & ex alia negant secundum. Idem teneas de vestibus, & aliis rebus, quæ non petuntur, nec ordinantur hic, & nunc ad malum usum, nec illum habeat ex se, sed ex malitia alterius: possunt enim ex justa causa vendi, & locari, propter eandem rationem.

303. Sed objicies cum P. Concina, qui contendit ex nulla necessitate posse licite locari domum, nec vestes vendi meretrici: quia hæc quæstum sui corporis, & lupanar aperire in domo locata intendit. Verum, non procedit, consequenter. Ipse enim adstruit licere tabernariis vendere vinum ex metu mortis, aut vulneris, illis, quos prævident se inebriandos: quia non tenentur tabernarii, dicit ipse, cum tanta jactura propria impedire aliorum peccata. Cur ergo hic non tenet eandem doctrinam, eadem ratione fulcitur? Cur illa venditio non est intrinsece mala, & hæc locatio intrinsece mala est, cum utraque sit actio ex se bona, & in utraque prævideatur abusus ex sola voluntate alterius? Dicit, quod hæc locatio comprehenditur

in propositione damnata de famulis; sed excedit, & contra communem sententiam declamat: quia actiones famuli portantis scalam, & similes sunt quædam cooperationes ad peccatum heri ascendens, vel procurantis peccare, quæ longe distant ab actione indifferenti locandi domum, cogente necessitate. 304. Inq. 2. An sit licitum ancillis famulari meretricibus? R. Sive meretrix dicatur a mercede, sive a mercatura sui corporis, in duplici differentia considerari potest. Nam alia ita dicuntur, quæ non frequenter, nec publice, sed in occulto, & tantum aliquoties prolabantur, istis licitum est famulari circa negotia domestica, & res indifferentes, in quibus famuli, & ancillæ aliis dominis regulariter ministrant. Alia sunt meretrices, quæ ex detestabili questu vivunt, publice expositæ, & omnium libidini destinatæ, quod proprie dicitur *prostibulum*. Isthic licitum est famulari, & etiam cum eis degere: quia talium consortium est continuum periculum, quod quilibet vitare tenetur. Unde fugienda est earum communicatio juxta præceptum Domini, *Matth. 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice ab te*. Hoc est, licet aliquis tibi sit adeo utilis, sicut oculus, pes, aut manus, tamen si tibi dat scandalum, devita illum, & fuge ab eo. Idem intelligas de famulis respectu dominorum, quibus, si non habeant in domo propria pellicem, aut concubinam, servire possunt in rebus domesticis, bonis, aut omnino indifferentibus. Verum, si domi suæ lenocinium exercent, aut frequenter iniqua jurant, ut usurarii publici, debent eos deserere, & iniquis mandatis minime obedire. Unde sequentia resolves. 305. Primo, non possunt famuli scribere, nec deferre litteras amatorias concubinae domini, nec alterius cujuscumque. Nequeunt portare ei munuscula, & alia mutui amoris incitamenta. Non possunt famuli, nec aurigæ, sive cymba, sive rheda, currus, lectica, sella, vel alio modo adducere concubinam de uno ad alium locum, vel de una ad aliam domum cum prævisione lenocinii. Nullus potest pingere concubinam amasio quacumque ex causa. 5. Nemo valet

donare aliquid pellici, aut concubinæ judicis, seu domini, ut apud illos intercedat: esset enim eam, & illos periculo exponere. 6. Non licet famulis comitari concubinam ad domum amassii, nec herum ad domum concubinæ, facem præferre, lectum eis sternere, nec cibos ministrare illa occasione, nec alia hujusmodi in obsequium eorum præstare, prævidendo malum finem, ad quem omnia hic, & nunc ordiantur: quia sunt proxime cooperationes ad actionem, quæ sine peccato fieri non potest. Et similes aliis, quæ in propositione 51. proscripsit Innocent. XI. *Famulus, qui summissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit deferendo scalam, apertendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne male a domino tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

306. Inq. 3. An pingens imagines obcenas grave peccatum scandalum committat? R. affirm. quia prædictæ imagines esto non sint totaliter nudæ, & alias pudenda occultentur, semper sunt fomentum, & incitamentum amoris turpis omnibus eas intuentibus: Unde illicitum etiam est habere eas expositas in domibus, vel cubiculis adhuc velo tectas, vel prætextu ornatas, sed aboleri, aut comburi debent. Nec aliqua utilitas, aut necessitas excusare potest earum picturam, aut retentionem.

307. Inquires 4. An sit licitum præbere alteri occasionem peccandi, ut maritus uxori ad deprehendam eam in adulterio: idem de domino apponente pecuniam famulo, ut ejus fidelitatem experiat? R. Minime licere alicui occasionem peccati præbere: quia non sunt facienda mala, unde proveniant bona. Qui autem præbet occasionem peccati, influit in peccatum. Poterit tamen maritus, aut dominus mere permissive se habere, ut uxor, vel famulus comprehensi, & convicti de peccato, melius respiciant.

308. Inquires 5. An choreæ sint licitæ? R. quamvis choreæ secundum se debita moderatione, & christiana gravitate peractæ, sicut alii ludi honesti ad recreandum animum ordinati, sint licitæ:

tamen prout in plurimum fiunt inter personas diversi sexus, & mutationibus minus honestis, sunt illicitæ. Omnino igitur arcendæ sunt choreæ inter viros, & foeminas, nisi saltem aliquid linteolum mediet inter earum manus, ita ut aulatenus se tangant. Quoniam mulieris tactus est contagiosus. Alier ejusmodi chorizantes nec a Confessariis valent absolvi, nec a Magistratibus permitti. Idem dicas de officio, aut de exercitio histrionum, de spectaculis, & comediis, quæ frequenter a personis venalibus, & vilibus peraguntur. Prob. quoad 1. partem: quia choreæ, spectacula, & comedie ordinantur ex se ad solatium hominum; sed hic finis est honestus, & licitus habitus secundum quod a virtute extrapeliz dirigitur: ergo etiam prædicta media secundum se. Ita D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 3.

309. Prob. quoad 2. partem: quia circa actiones morales resolvendum est moraliter, & prout in praxi communiter contingunt; sed in choreis, spectaculis, & comediis communiter adsunt plurimi usus, ut quotidiana experientia satis, superque testatur, ergo sunt illicita. Unde convenientius foret, saltem loquendo de comediis, quod a Magistratibus penitus relegarentur, ac prohiberentur. Quod aperte deducitur ex D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. ubi dicit: *Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen ab officio Principis a civitate extirpandæ secundum documenta Platonis.* Si hæc autoritas adeo luculenta non tenet, saltem de comediis hujus temporis, vix, aut ne vix de aliqua arte verificari valet. Quid enim sunt comedie nisi theatrum Doemonum, festum Diaboli, scena turpitudinis, gymnasium impudentiæ, schola lasciviæ, pestis reipublicæ, & universitas vitiorum? Ita SS. PP.

310. Inq. 6. An sit licita mutatio vestitus alterius sexus? R. ex necessitate, aut rationabili causa esse licitam prædictam mutationem; deficiente vero causa, aut necessitate, esse vitiosam. Ita D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3. *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & præcipue, quia hoc potest esse*

se causa lasciviæ. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus: vel propter defectum alterius vestimenti: vel propter aliquid aliud hujusmodi. Igitur permittendus non est usus vestium alterius sexus, præcisa causa, aut necessitate.

311. Inq. 7. Quid agere debeat, qui alium ad peccatum induxit, aut a bono retraxit? R. Quod si alterum induxisti ad peccandum falsa doctrina, vi, aut dolo, teneris ex justitia ad aperendam ei veritatem, docendo sanam doctrinam, ad restituendum ei libertatem, & ad suadendum pro viribus, ut a peccato absteat, vel pœniteat, aut resipiscat. Insuper teneris ex justitia ad restituendam damna temporalia, si quæ ille passus est ex tua falsa doctrina, vi, aut dolo: quia fuisti causa injusta omnis damni spiritualis, & temporalis. Si autem inducio solum fuit pravo exemplo, aut simplici præce, teneris ex caritate illum retrahere a peccato, non tamen ad damna temporalia ei restituenda: quia ipse voluntarie, & absque injustitia, ex tua parte, consensit in malum.

312. Similiter, si aliquem retraxisti

a bono, ut: ab ingressu religionis, vi, aut dolo, aut quid falsi imponendo religioni, teneris ex justitia ad omnia damna spiritualia, & temporalia pro viribus restituenda ei, & etiam religioni, secundum spem, quam ex illius ingressu percipere posset: nam licet religio non haberet jus ad ingressum illius, habebat tamen jus, ne injuste privaretur. Unde teneris in primis ad restituendum honorem religioni, deinde ad suadendum illi ingressum, & etiam in defectum hujus, alteri, si libere consentiat: aut alio modo conari ad compensandam injustitiam; non tamen teneris tu ipse ingredi religionem, si vocationem, & alia requisita non habeas. Si autem retraxisti absque vi, fraude, aut dolo, sed tantum precibus, vel suasionem non falsa, sed revera non bona, nec congrua, teneris ex caritate ad damnum spirituale ei compensandum, suadendo pro possibili ingressum, & removendo ab eo scandalum, quod præbuiti. Denique si retraxisti illum ex rationabili causa, ut quia parentes, aut alii cognati eo indigebant, aut simili justo motivo, ad nihil teneris, quia prouder egisti.

TRACTATUS DECIMUS

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Exploratis his, quæ sunt præambula ad præcepta Decalogi, sermonem instituumus de primo ejusdem præcepto, quod est de uno solo Deo colendo; cum autem ad veri Dei cultum ex proprio munere nos dirigat virtus religionis, ideoque dicatur *eusebia* seu bonus cultus, accedimus ad eam explicandam ex doctrina Angel. Præcept. qui de illa disserit 2. 2. q. 81.

CAPUT I.

De virtute religionis.

PUNCTUM I.

Notio, & actus religionis.

1. Inq. 1. Quid sit religio? R. est vir-

tus, quæ debitum cultum tribuit Deo, tanquam primo omnium principio. Quidam putant, quod hæc virtus dicitur *religio* à verbo *relego*, quia ea, quæ ad cultum Dei attinent, iterum, atque iterum sunt legenda. Alii derivari a verbo *religo*, eo quod ipsa nos Deo religat, seu iterum, aut fortius ligat; quia vinculo naturali ad colendum Deum ligati, per religionem iterata ligatione ei subijcitur. D. Th. 2. 2. q. 81. a. 1. in corp. 2. Inquires 2. quodnam sit objectum religionis? R. objectum cui est Deus; objectum autem quod est cultus Deo debitus. Unde non est virtus theologica, quia non terminatur immediate ad Deum, tanquam ad objectum quod. Ratio formalis sub qua est excellentia Divina sub ratio-